

## Rheinisches Urkundenbuch (Ed. Wisplinghoff) Nr. 297

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Bruno aecclesiarum Christi famulus eiusdemque aecclesiae filiis et fidelibus tam futuris quam presentibus. Quoniam non nostro merito, sed divina misericordia et amminiculo concordante cleri populique voto pastoralis curae onus suscepimus, competens et necessarium duximus, ut pro nostris cotidianis excessibus, quos pro necessitate ac negotio regni proque qualitate temporis contrahimus, aliquid remedii inter has procellas provideamus. Nam et ratio exigit credite dispensationis et antecessorum nostrorum beneactionis emolumentum, quos in decorem domus domini aurum, argentum lapidesque preciosos contulisse consideramus, ut et nos pro modulo nostro in donariis eiusdem domus et, si non amplius, saltem saga cilicina vel pilos caprarum offeramus. Neque enim ipse pater familias quantum quis offerat, sed ex quanto vel quali devotione offerat, considerat, voluntatem bonam remuneret et calicem aquae frigidae aeterno premio recompenset. Novit itaque dilectio vestra, quod pro remedio animae nostrae et omnium fidelium caenobium sancti Pantaleonis ex nostris propriis et liberis instituimus ipsumque monachorum collegio nobile ab omni prorsus obsonio episcopali liberum esse permittimus. Et quia eosdem fratres dominos et intercessores apud deum esse volumus, iustum est, ut quieti et saluti eorum summa diligentia prospiciamus. Statuimus ergo sub divini contestatione iudicii et auctoritate sancti Petri et domni apostolici Agapiti nec non nostri officii, ut nullus regum vel episcoporum ducum sive comitum, nullus inquam hominum cuiuscumque dignitatis vel conditionis audeat eiusdem aecclesiae rebus sibi collatis sive conferendis molestiam inferre vel quasi ex iure vel debito quicquam violenter exigere vel exinde usurpare. Post obitum vero abbatis nulla auferendi causa fiat discussio de ornamentis, quibus in dei servitio utuntur, sed diligenter in integro servantur et consignentur in futuri successoris ministerio, quia sacrilegium committit, qui huiusmodi aliquid auferre presumpserit. Locum etiam defuncti nullus paenitus optineat, nisi quem votiva fratrum electio secundum timorem et amorem Christi de suis sibi preesse voluerit, ut nulla oriatur occasio, qua minus devoti tam in divino servitio quam in suae professionis deprehendantur proposito. Si autem dominis successoribus nostris pro statu et negotio regni ultra Alpes proficiscendum est, ab abbate prefatae aecclesiae pro karytate spadicem validum accipiat, sed nudum, si vero infra, vehiculum absque iumentis, quod post expeditionem, si superfuerit, restituant, ne vel in hoc dampnum aecclesiae nostrae inferant. Observantes divina misericordia hic custodiat et in die iudicii ad dexteram suam statuat, contempnentes vero anathematis vinculo innodatos cum diabolo et angelis eius aeternis ignibus perpetuo consumendos tradat. Hanc libertatis kartam domni imperatoris fratris nostri Ottonis augusti consensu et auxilio roboratam sigilli nostri inpressione confirmamus et eam quolibet modo, arte qualibet vel ingenio infringentem ab omni christiana communione perpetuo, nisi resipuerit, segregatum, patris et filii et spiritus sancti et sancti Petri auctoritate anathematizamus annuente etiam ipso imperatore et filio eius, ducibus quoque faventibus Herimanno Saxonum, Tiderico Bavvariorum, Heinrico Lotharingorum ac reliquis totius curiae primatibus. Subscripserunt et domni et coepiscopi nostri VVillehelmus Mogontinus, Heinricus Trevirensis, Tidericus Metensis, VVichfridus Veronensis, Baldricus Leodicensis assidentibus venerabilibus abbatibus Christiano eiusdem caenobii patre I Adamaro Fuldensi, Odilone Stabulensi, Bûuone Corbeiensi, Bernhardo Pumiensi, domno quoque Poppone, Folcmaro, Euizone cum magna parte cleri et familia sancti Petri.

Acta Coloniae die pentecostes DCCCCLXIII V indictionis circulo a redemptionis nostrae  
exordio, domni Ottonis imperatoris I imperii anno vigesimo VIII, pontificatus nostri XI.